



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Codri pauperis historia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

vt vult Hugo, ea flexis genibus obtulerunt; verum etiam vt ostenderent contemptum diuitiarum, quasi ea non manibus tractanda, sed pedibus calcanda essent. Ita enim Arator loquitur:

*Calcandumq; docent, quod subdunt gressibus aurum,  
De quo terrena veniunt ad pectora curae.*

Quamquam etiam ea re demonstrarunt, se non tam gratiam facere, quam recipere ab Apostolis. *Maioris ducebant, ait Chryostomus, quod ab eis reciperentur, quam quod darentur dona. Hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est, pascere esurientem Christum, & absq; arrogantia & fastu id facias: sicq; des, quasi tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videaris.* Das enim terram, recipis caelum, Codrus ad breue tempus, Croesus aeternum futurus; immo Croeso incomparabiliter beator. Finem enim aequè habuit Croesi felicitas, ac Codri calamitas.

Notissimum enim est, quid de Croeso, in historijs memoretur, sed quia opulentos valde erudit, hic mihi ex Herodoto recensendum est, vbi prius paucis de Codro narrauero, quantam ille, desertis opibus, & abiecta regia purpura, Atheniensibus victoriam, sibi autem gloriam sit consecutus. Erant inter Athenienses & Dorienses simultatem habentium veteres offensa, quas vindicaturi bello Dorienses, de euentu praelij oracula consuluerunt: Responsum, superiores fore, si regem Atheniensium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis praecipitur. Atheniensibus eo tempore rex Codrus erat; qui & responso Dei, & praeceptis hostium cognitis, permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, a milite, quem falce astu conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine praelio discedunt. Atq; ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriae morti se offerentis, bello liberantur. Post Codrum nemo Athenis regnavit: quod memoria nominis eius tributum est. Quare rex iste, e diuite pauper, & sibi immortale decus peperit, & patriae suae incolumitatem. Aprè hoc factum Christo pauperi, & crucem, velut sarmenta collo gerenti, ac pro salute humana morti se se offerenti accommodatur: sed etiam appositè comparatur ijs, qui sub schemate paupertatis multa patiuntur, atque ita multis alijs profunt, oratione, patientia, exemplo, merito; sibi verò gloriam pariunt sempiternam.

IX.

Iustin, libi 2

Ec 3

Croesus